aliquo cohonestatos dimittant.

De rebus Colloquij post multam et uariam disputationem, in qua Cõfessionistæ
unam et solam Confessionem suam ꝓposuerunt, Catholici uero in huiusmodi
confessione existimantes minimá partem articulorũ controuersorum cõtineri
ipsi quoq; Articulos in Colloquio disputandos ꝓponere sibi reseruarunt,
Ideoq; cõuentũ est, ut de quibus rebus colloquendum sit inter Colloquentes
et adiunctos utriusq; partis in loco Colloquij priusq; inchoabit, conueniatur
sic et de processu inter ipsos Colloquentes utriusq; partis concordabitur
Tempus Colloquendi præfixum est uigesima quarta Augusti, Locus Ciuitas
Wormacensis

Hæc fere sunt quæ in materia Conciliacionis concordiæ in Religione,
in hoc conuentu tractata, acta, atq; decreta sunt; Quæ cuiusmodi sint,
uniuscuiusq; prudentis iudicio relinquuntur.